

## Band II., Nr. A1, Seite 389-419a

Das Schenkungsbuch des Klosters Reichenbach

Reichenbach, Hauptteil zwischen 1138 und 1152,  
Nachträge aus dem 13. Jahrhundert

In nomine sanctę et individę trinitatis.<sup>a</sup> Ego<sup>b</sup> Willehelmus – *usw.*<sup>1</sup> – firmavi.<br><br> Sane positum est fundamentum ęcclesię anno sequenti, et infra tres annos consummata est.<br><br> Anno igitur incarnationis domini MLXXXV., indictione VIII., X. kalendas Octobris dedicata est ęcclesia a venerabili Gebehardo Constantiensis ęcclesię episcopo, qui tunc temporis in partibus Theutonicis legatus apostolici extitit, ad laudem et gloriam sanctę et individę trinitatis et beatę genitricis dei Marię<sup>c</sup> et in honore eorum quorum reliquię vel nomina habentur in ea, sed precipue<sup>d</sup> beati Gregorii papę et confessoris, contradens ei omnem decimationem circumiacentis vallis iure perpetuo. Ea die supradictus Ernest dotavit eandem ęcclesiam suo allodio quod situm est in villa nomine Gysenheim, alio quoque in villa Garmertinheim sito. Ne igitur ordinem relationis nostrę dimittamus, ad plura eiusdem venerabilis viri Ernest beneficia referenda veniamus.<br><br> Hęc sunt quę ipse Ernest et filii sororis eius Folradus et Ernest possederant. In villa Ysenheim et Gisenheim iuxta Mogontiam predia satis bona habuit, et aliud iuxta Wormatiam in villa Heimeretesheim, non minus utile. Ipsum vero predium in Heimeretesheim dedit cuidam Wormatiensi civi, Cönoni nomine, in legitimum concambium pro alio predio in Dizzingun. Illud autem in Ysenheim et Gisenheim pro duobus aliis in Sulzöwa et in Immenöwa cuidam Engelboldo, libero homini de Elisapha, tradidit. Hęc tria predia de illis tribus,

<sup>a</sup>Die Eingangsworte *In nomine bis trinitatis* beginnen mit einer verzierten, rubrizierten Initiale *I* und sind insgesamt in roten Unzialen geschrieben, ebenso die Überschriften der einzelnen Abschnitte des ursprünglichen Teils der Handschrift.

<sup>b</sup>Das Anfangswort *Ego* besteht aus verzierten, sehr großen Unzialen von roter und gelber Farbe, auch ist bis Blatt 31 der Anfangsbuchstabe jedes neuen Absatzes der Regel nach rubriziert. Dann fehlen die Anfangsbuchstaben ein- oder zweimal, indem Raum dafür offen gelassen ist, und hierauf folgen durchgängig schwarze Buchstaben.

<sup>c</sup>Die Worte *Maria*, *Ernest* und *Gregorio* sind in der gesamten Handschrift häufig mit Unzialen geschrieben, *Gregorio* wird häufig abgekürzt *GG.*

<sup>d</sup>Das Präfix *pre* statt *prae* kommt in der Regel nur abgekürzt vor, doch steht es auch aufgelöst mit einfachem *e* (nicht *e*).

<sup>1</sup>Vgl. für den Anfang des Schenkungsbuchs den Abdruck als selbständige Urkunde von 1082 Mai 15 in WUB, Bd. I, S. 284 f., Nr. 236. Über den Eingangsworten steht von ziemlich später Hand *Richenbach*.

## II

Ernest videlicet, Folrado et Ernest, acquisita sunt. In Gamertinheim emit quoddam predium XXX marcis, quod Sigebotoni de Röggesingin<sup>2</sup> dedit pro tribus hōbis in Gotelbingun et una in Endingun. Sunt et alia predia quę per se et per alios dei fideles huic ecclesię acquisivit, quas postea plenius enarrare disposuimus. Igitur quia necessitatis causa ordinem narrationis nostrę paululum transgressi sumus, iterum nunc ad incepta redeamus.<br> <br> Ipso die dedicationis ecclesię Wern miles de Hopfōwa auxit dotem ecclesię donando partem suam in tercio a cella versus septentrionem monte. Cuius medietatem ipse cum sorore sua patrio iure possidens, ea videlicet parte ubi fons irriguus dulces emanat aquas, suam ut diximus partem sancto tribuit Gregorio. Auxit preter hęc dotem ecclesię in locis quę describi non incongruum videtur. Est silva ex utraque parte Murgę sita et usque ad verticem utrorumque montium extensa, quę a meridiana plaga in rivulo qui Holzbach dicitur terminat, inde ex utraque parte prefati fluminis deorsum usque in Sulzebach protenditur; illic distenditur usque in summitatem utrorumque montium, sinistrorsum tamen aliquantisper excrescit, habetque in se stagnum ex quo defluit Sebach, qui totum decursum suum in eodem complectitur predio. Infra hanc silvam in Murga continetur septum, maiorum piscium captioni aptum. Horum omnium medietate ecclesiam ipse dotavit.<br> <br> Maritus vero sororis eiusdem, Volcmar nomine, reliquam medietatem iam pridem beato Gregorio firma traditione donaverat.<br> <br> Eodem etiam dedicationis die Beatrix, nobilis et proba matrona, adauxit dotem donando viculum nomine Vilmödebach<sup>3</sup>, edificii quidem tunc temporis destructum, set ad XII mansos computatum.<br> <br> Eodem anno, XII. kalendas Martii, quędam ingenua femina, Trutlint, per manum mariti sui tradidit deo ac beato Gregorio, coram fratribus ibidem ad laudem dei congregatis, nec non et aliis testibus idoneis, unum servientem, Wernherum nomine, cum predio suo et beneficio, quod utrumque in villa Dageulingen possederat, pro animabus suorum et maxime pro anima germani sui Hartnidi, qui eodem die in cella eadem sepultus est, qui etiam, ut hęc traditio fieret, dum adhuc viveret, exoptaverat.<br> <br> Eodem<sup>e</sup> anno, IIII. idus Martii, in ipsa scilicet beatissimi Gregorii festivitate, quidam liberi homines, Wazelin eiusque filius Manegolt, tradiderunt prefatę ecclesię predium suum iuxta Dömbach<sup>4</sup> situm, partim ad usum prati excultum, partim adhuc silva consitum. Huic traditioni affuerunt testes: Berhtoldus de Eberstein et duo filii eius Berhtolt et Eberhart, et Böbo

---

<sup>e</sup>Am Rande dieses Abschnittes von einer Hand des 15. Jahrhunderts: *doumpach*.

<sup>2</sup>Ober- und Unterriexingen.

<sup>3</sup>Füllmenbacher Hof.

<sup>4</sup>Der Bach Tonbach und der Ort Tonbach = Reichenbacher Höfe.

### III

de Vueningun<sup>5</sup> et Rödolf de Sallestetin et alii quam plures idonei.<br> <br> In crastino vero, id est III. idus Martii, quidam generosus iuuenis, nomine Ödalricus, cum felici devotione tradidit beato Gregorio II mansos in marcha Sconenberc<sup>6</sup> sitos cum sex mancipiis. Hęc traditio nichilominus facta est in presentia predictorum testium.<br> <br> Eodem anno Ötwin quidam de familia sancti Aurelii, V. idus Aprilis, tradidit beato Gregorio III iurnales in Altheim sitos, in presentia Adelberti advocati et Bern et filii eius Bern, qui item omnes testes affuerunt traditioni alię<sup>f</sup> sub eodem die factę, quam quidam non minime libertatis fecit, Manegolt nomine de Linstetin, offerens deo ac beato Gregorio dimidium aquaticum septum et aliud circumiacens predium, quod ipse in Grasegenöwa possederat, cum monte qui Swarcinberc dicitur. Quod comes Fridericus de Zolra voluit iniusta dominatione auferre a famulis sancti Gregorii; set Har[t]nidus, frater predicti Manegoldi, in placito quod erat Ofdirdingen, coram avvocato Gotefrido palatino comiti, contra eundem F. comitem iuste sancto Gregorio obtinuit coram multis et idoneis testibus. Iterum Heinricus de Altdunsteiga, ex familia Ödalrici comitis, iniusta usurpatione predictum predium invasit, set Birhtelo, filius predicti H. de Linstetin, sancto Gregorio iuste obtinuit in eodem predio Grasegenöwa coram palatino comite et aliis plurimis testibus.<br> <br> Post hanc donationem Burchardus quidam, ingenuus de Curenberc, allodium quod serviens eius Burchardus in villis Gunderichingen et Scietingen hereditario iure possederat beato Gregorio totum donare, ipso qui possederat unice petente, decrevit. Sed quia aliqua causa prepeditus ipse ad cellam venire non potuit ubi traditio fieri debuit, idem Burchardus simul cum uxore sua Mathhilda XI. kalendas Februarii cuidam militi libero homini, Alberico nomine, supradictum predium in proprietatem dedit, per fidem rogans eum per eandem, ut ipse illud deo ac beato Gregorio in cella sita iuxta flumen Murgam in Silva Nigra contraderet. Isti sunt autem testes in quorum presentia bis prenominatus capitaneus pretitulatum allodium dedit Alberico: Berhtolfus, ingenuus homo de Stoufenberc, Waltherus de Abbenwilare, Gerolt et frater eius de Scercingen<sup>7</sup>, Hartbreth

---

<sup>f</sup>So die Handschrift.

<sup>5</sup>Ober- und Unteriflingen.

<sup>6</sup>Laut STEPHAN MOLITOR (BEARB.): Das Reichenbacher Schenkungsbuch (Veröffentlichungen der Kommission für geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg. Reihe A, Bd. 40). Stuttgart 1997 Schönberg, Seelbach, OG, nicht Schömberg, Loßburg, FDS.

<sup>7</sup>Laut STEPHAN MOLITOR (BEARB.): Das Reichenbacher Schenkungsbuch (Veröffentlichungen der Kommission für geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg. Reihe A, Bd. 40). Stuttgart 1997 Scherzingen, Ehrenkirch, FR, nicht Schörzingen, Schömberg, BL.

#### IV

de Cimberen<sup>8</sup>, frater supradicti Alberici. Hic igitur Albericus perfecit rogatam traditionem eiusdem predii in prefata cella sancti Gregorii super altare ipsius, VIII. kalendas Februarii, in presentia comitis Heinrici de Tuingen et Rödolfi de Lato Lapide<sup>9</sup> et Alberici de Sleithdorf et aliorum eque liberorum hominum, videlicet Reginboldi, Iringi, Sigeboldi, Gerrici et Wolfgeri. Qui tres postremi fuerunt de Gunderichingen, ubi idem predium ex maiori parte situm est. Acta est autem traditio hec anno dominice incarnationis MLXXXVIII., indictione XI.  
  
Anno dominice incarnationis MLXXXVIII., indictione XI., VIII. kalendas Ianuarii, Gisela, ancilla sancti Aurelii, dedit beato Gregorio de proprietate sua quam possedit in Altheim VI iurnales et unum pratum ad duas carratas feni, in presentia Heinrici comitis de Tuingen et militum Herhardi et Theoderici.  
  
Anno incarnationis domini MLXXXVII., indictione X., VIII. kalendas Aprilis, Reginboldus, liber homo, cum uxore sua Berhta dedit deo ac beato Gregorio in eternam proprietatem prediolum suum, unum videlicet mansum quem hereditario iure possederat in villa nomine Vtingen, astante frequentia populi qui ea die ob festum cene sive annuntiationis domini convenerat.  
  
Altera die, scilicet VII. kalendas Aprilis, Waltherus, ingenuus miles, deo et beato Gregorio dedit in perpetuam proprietatem dimidiam partem montis quem communem habuerat in proprietate cum fratre suo Rödolfo de Haldewanc, qui eodem anno, VI. kalendas Decembris, eiusdem montis alteram partem supradicto sancto tradidit in eodem loco quo eius frater, omnino similiter ut eius frater. Situs est autem idem mons iuxta cellam, collateralis scilicet monti qui pertinet sancte Marie, et a septentrione stat proximus celle.  
  
Eodem anno Wielandus, liber homo de Altheim, in eadem villa tradidit sancto Gregorio tria iugera, ipso die quo eius consobrinus Adelolt eidem sancto dediderat partem que sibi pertinuit in monte quem communi ditone cum aliis V possiderat, qui omnes eidem sancto Gregorio suas partes prius contradiderant. Hec autem sunt nomina eorum: Wielant senior et filius eius Burchart, Adelolt et frater eius Wern, omnes liberi, et due sorores Irmingart et Gisela, ancille sancti Aurelii. Situs est autem mons idem quartus a cella versus septentrionem.  
  
Eodem anno, III. idus Aprilis, Wernherus miles dedit sancto Gregorio quandam pratensem planiciem, sitam super montem a cella tertium versus septentrionem, et habet terminum ab occidente ipsum montis descensum, ab oriente vero viam que ducit per silvam, porro a meridie terminat ad lapidem qui vocatur Prati Arbor, a septentrione autem finit in via que, a communi via

---

<sup>8</sup>Laut STEPHAN MOLITOR (BEARB.): Das Reichenbacher Schenkungsbuch (Veröffentlichungen der Kommission für geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg. Reihe A, Bd. 40). Stuttgart 1997 Zimmern, Appenweier, OG, nicht Herrenzimmern, Bösing, RW.

<sup>9</sup>Breitenstein.

sursum, descendit ad Murgam deorsum; denique ipsum montem iam pridem dederant eidem sancto Gregorio dux Berhtolfus iunior et milites duo Wern et Volcmar, qui eum communi proprietate possederant.<br> <br> Eodem anno Irinc, liber homo, tradidit beato Gregorio in marca quę vocatur Caminata<sup>10</sup> XII iugera agri et modicum prati, scilicet ad unam carratam feni. Hi affuerunt testes liberi homines Gesello, Bezeman, Abbo et alius Abbo.<br> <br> Omnes in Christo fideles nosse cupimus, quod Bōbo vir generosus predium suum, situm in villa Gunderichingen, totum dedit sancto Gregorio ea qua id ipse possederat proprietate, excepto uno manso cum quo campsit a domno abbate Willehelmo alium, situm in villa Vueningen, ubi idem Bōbo habitavit. Eundem autem mansum qui exceptus ad sancti Aurelii ditionem pertinuit domnus abbas Willehelmus in presentiarum beato Gregorio concessit. Hanc igitur traditionem fecit predictus Bōbo in cella sancti Gregorii, sita iuxta flumen Murgam, in silva quę vocatur Nigra, in presentia domni abbatis W. et trium comitum, videlicet Heinrici de Tuingen, in cuius comitatu idem predium situm est, et fratris eius Hugonis, et Herimanni, eorundem matertere filii. Preter hos affuerunt et alii viri ingenui, scilicet Adelbertus advocatus, Bern et filius eius Bern, Adelbertus, Hartnit, Rōdolfus de Lato Lapide, Albericus, Theodericus. Facta est autem ipsa traditio anno incarnationis domini MLXXXVII., indictione X., XI. kalendas Augusti.<br> <br> *Hic descripta sunt proprie predia quę domnus abbas Willehelmus sancto Gregorio concessit.*<br> <br> Diemarus quidam, capitaneus de Driuels, veniens Hirsaugiam ad conversionem, dedit eidem ecclesię predia sua in Öberencheim, XII hōbas cum vineto, in Özenhusen<sup>11</sup> VIII hūbas, et ad Vinkenberc<sup>12</sup> quod ibi habuit.<br> <br> Erchenbertus de Rotingun dedit Hirsaugiensi ecclesię duas partes in Husen<sup>13</sup>, ecclesiam ex integro et dotalem mansum cum omni iure, et ad Hvfelinhart duas hōbas.<br> <br> Comes Alewicus de Sulza et frater eius Herimannus dederunt Hirsaugię in Nieuerun<sup>14</sup> quod ibi habuerunt, id est partem ecclesię et tres hōbas.<br> <br> Comes Burchardus de Stōfenberc dedit in eodem loco tres hōbas.<br> <br> Cōno de Takenstein

<sup>10</sup>Laut STEPHAN MOLITOR (BEARB.): Das Reichenbacher Schenkungsbuch (Veröffentlichungen der Kommission für geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg. Reihe A, Bd. 40). Stuttgart 1997 Kemnat, Ostfildern, ES.

<sup>11</sup>Laut STEPHAN MOLITOR (BEARB.): Das Reichenbacher Schenkungsbuch (Veröffentlichungen der Kommission für geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg. Reihe A, Bd. 40). Stuttgart 1997 Zuzenhausen, Zuzenhausen, HD (vgl. GUSTAV BOSSE: Zur älteren Topographie Württembergs, besonders im Codex Laureshamensis. In: Württembergische Vierteljahrshäfte für Landesgeschichte 10 (1887), S. 58-62 u. 137-154, S. 140).

<sup>12</sup>Finkenhof.

<sup>13</sup>Kälbertshausen.

<sup>14</sup>Altnuifra.

dedit iuxta Öberenheim tria loca Hirsaugiensi ecclesie, videlicet Morterstal<sup>15</sup> totum, et ad Cazenbach<sup>16</sup> duas hōbas, et ad Bienenheim<sup>17</sup> duas hōbas cum piscatione satis utili.<br> <br> Domnus Gebehardus abbas, noviter ad conversionem veniens, cum fratre Egenone, dedit in Öwa et Atenherde iuxta Renum duo predia Hirsaugiensi ecclesie. Quę postea in concambium data sunt pro VI hōbis in Gotelibingun.<br> <br> Tres germani fratres, Adelbertus, Wimarus, Liutpertus de Ysolteshusen, dederunt in eodem loco predium suum Hirsaugie, quod postea in concambium pro alio in Argozingen sito datum est.<br> Quidam clericus de Stophilin, Rōtman nomine, dedit sancto Aurelio Hyrsaugiensi quoddam predium in Herrichswilare, cum quo abbas Willehelmus dotavit ecclesiam sancti Gregorii ipso die dedicationis eius. Dedit etiam hōbam in Viskinun.<br> <br> Hęc omnia pię memorię domnus Willehelmus abbas sancto Gregorio et fratribus domino servientibus ad subsidium concessit.<br> <br> *Hęc autem domnus Gebehardus abbas sancto Gregorio concessit.*<br> <br> Comes Burchardus de Stōfenberc et frater eius Berhtolfus dederunt sancto Petro Hirsaugiensi non modicam partem vinearum in Endingin, id est ad decem carratas supputatam.<br> <br> Gozzolt de Bliderhūsen dedit sancto Petro Hyrsaugiensi in Argozingun IIII hōbas et in Vasburwilare unum molendinum. Hęc tria domnus abbas Gebehardus sancto Gregorio concessit.<br> <br> Quidam Hecel, serviens Sophie de Mōlehusen, dedit sancto Gregorio III hōbas in Hohenstat<sup>18</sup>.<br> <br> Quidam Gēr, cliens Folmari de Niuwenburc, cum fratribus suis dedit sancto Gregorio unum iugerum vinearum in eadem villa Hohenstat.<br> <br> In eadem villa emptum est predium a Berhtoldo de Bōtenheim bono caballo, et datum est sancto Gregorio.<br> <br> Prefatus Hecel dedit sancto Gregorio in Sahsenheim<sup>19</sup> V hōbas.<br> <br> Habemus etiam in proxima villa eiusdem nominis Sahsenheim IIII hōbas et dimidiam, emptas XIII marcis a nostro seniore Ernest ab Osterhilde, vidua cuiusdam Ernestonis de Stocheim. Easdem etiam marcas dederunt Mathilt, quędam matrona de Rauengeresburc, et alia mulier Enzela nomine.<br> <br> Predicta etiam Mathilt dedit sancto Gregorio hōbam in Gebersheim. Dedit etiam pro agro quodam in Dizingun XX solidos monete Vlmensis et aliquantum agri.<br> <br> Quędam venerabilis matrona, nomine Sophia de Mōlehusen, cum filio suo Gerlaho dedit sancto Gregorio III hōbas in Mutaha, et in Ulvenesheim<sup>20</sup>

<sup>15</sup>Mörtelstein.

<sup>16</sup>Neckarkatzenbach.

<sup>17</sup>Binau.

<sup>18</sup>Ober- und Niederhochstadt.

<sup>19</sup>Groß- und Kleinsachsenheim.

<sup>20</sup>Laut STEPHAN MOLITOR (BEARB.): Das Reichenbacher Schenkungsbuch (Veröffentlichungen der Kommission für geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg.

## VII

VIII iugera vinearum.<br> <br> Comes Liutolfus de Achelm dedit sancto Gregorio hōbam unam in Remmingsheim iuxta Nekker fluvium.<br> <br> Adelheidis, vidua Heinrici comitis de Tōuingen, dedit sancto Gregorio hōbas III in Sindelingun et dimidiam ecclesiam in Niferōn iuxta Enze fluvium.<br> <br> Ōdalricus quidam, liber homo de Waldaha<sup>21</sup>, dedit sancto Gregorio curtem unam et hōbam in eodem loco.<br> <br> Anno incarnationis dominicę MXCI., obeunte beatę memorię Willehelmo abbate Hirsaugiensi, domnus Gebehardus, eque memorabilis, illi successit in regimine cenobiali. Cuius nutu et patratu confirmata sunt et aucta quęlibet ab antecessore ipsius bene acta fuerant et instituta. Sub quo ille Ernest, qui in construendo beati Gregorii cenobio prioris abbatis collaborator extitit et adiutor, omnia quę habere potuit ad eundem locum coram idoneis testibus hereditario iure contradidit, sive quę antea tradiderat confirmavit, petens ab eodem domno abbate Gebehardo et clementia ipsius obtinens, ut hęc ita scriberentur. Quę sint autem quę eidem loco ab ipso sunt collata vel eius industria cum auxilio bonorum fidelium conquisita breviter hic commemoretur. Est enim predium in villa Gotelvbinga situm, aliud in villa Hirslanda, similiter in Dizinga atque Sulzōvva, in Immenōvva quoque, sed et in Gamertinga fere IIII hōbę, et unam hōbam vinearum in Endingun. Sed illud predium quod in Hirslanda situm est et in Dizinga et illas fere IIII hōbas in Gamertinga cum auxilio bonorum fidelium idem Ernest comparavit, cetera omnia suis prediis ipse mutuavit et sic ad eundem locum delegavit. Ex quibus illud predium quod in Immenōvva habuit tali sub conditione dedit ut hoc pertineat ad obędientiam elemosinarii, et ille ex hoc tribus anni temporibus fratribus constitutum pro caritate impendat servitium, id est ad anniversarium eiusdem Ernostonis similiter patris et matris eius. In anniversario autem eius datur ab elemosinario mensura frumenti quę nostra lingua malter dicitur, ut inde XXX panes fiant et ex his XIII totidem pauperibus cum edulio carnis, aut piscium, sive ovorum, aut casei erogentur, addito etiam vini poculo; et post refectionem unicuique eorundem pauperum unus denarius tribuatur; reliqui vero panes cum pulmento, quale tunc haberi potest, et cum potu consuetudinario aliis distribuuntur pauperibus. Sed in oratione quę facienda est pares erimus, ego abbas Willehelmus et idem Ernest, scilicet ut die anniversario nostro missam unam pro nobis cantent singuli presbiteri; cęteri fratrum, quilibet psalmos quinquaginta aut orationem dominicam, id est Pater noster, totiens pereret preter eam quę communiter in vigilia et missa cum signorum pulsatione agenda est oratio. Quod in refectorio superfuerit elemosinarius accipit. Infra collationem ab elemosinario potus fratribus datur de vino, set in anniversario

---

Reihe A, Bd. 40). Stuttgart 1997 Ilbesheim, nicht Ilvesheim.

<sup>21</sup>Ober- und Unterwaldach.

## VIII

domni W. a cellerario. Caritatem autem in refectorio fratribus elemosinarius aut per se debet impendere, aut cellerario representabit duas maltheras frumenti et amam vini, Spirensis mensurę, ac solidos sex, ipsos quoque solidos dabit ante XIII dies anniversarii, frumentum vero ante unam ebdomadam, vinum autem ipsa die cum ipsius fuerit anniversarius. Simul cum eo agitur memoria Hiltigarthe, eius quondam coniuge. Similiter agatur memoria patris et matris eius cum communi pulsatione vigilię et misse, et simili in refectorio caritate.<br> <br> Placuit deinde et visum est fratribus nostris, ut anniversarius domni W. abbatis dies tam ab ipsis quam a posteris ipsorum memorialis habeatur, tum ob amoris illius venerationem, tum ideo quod ipse cęnobii huius constructor sit primus. Annuentibus igitur cunctis statutum est, ut amminiculantibus obędientiariis nostris eadem die cunctis fratribus interioribus et exterioribus ob amorem eiusdem pii patris caritas impenderetur. Hęc autem sunt quę singuli dabunt. Prior dabit amam vini, Spirensis mensurę, et malter ac dimidium frumenti, prepositus solidum unum, camerarius unum, cellerarius unum, custos ecclesię unum et elemosinarius unum, exceptis XIII nummis totidem pauperibus deputatis. Hoc etiam decrevit domnus abba Bruno, ut quicquid eadem die fratribus in refectorio consuetudinaliter superfuerit, ad elemosinam detur, ideoque nummi non decimantur. Singuli quoque prefatos solidos ante XIII dies cellerario dabunt et frumentum ante VII dies, vinum quoque ipsa die, frumentum etiam illud de quo XXX panes pauperibus parantur de fratrum granatorio dabitur. Cętera omnia facimus in orationibus et elemosinis sicut in anniversario domni Ernestonis prescriptum est.<br> <br> In Dizingun IIII hōbę XIII marcis empte sunt, quas dedit Nanno, Wormaciensis civis, pro filia sua Gōda.<br> <br> Notum esse cupimus domino nostro Ihesu Christo famulantibus, qualiter Mathilt de Sunthōsun predium quod est situm in Hirslundun et Hōsun<sup>22</sup> cum omnibus appenditiis vendiderit sepedicto famulo dei Ernest ob centum marchas argenti, cum consilio et viginti marcharum subsidio Hartwici, Magadburgensis venerabilis archiepiscopi, pro sustentatione monachorum aliorumque deo famulantium in cella sancti Gregorii. Huic causę prefuit idem prememoratus archiepiscopus H. cęterique plures interfuerunt, scilicet Herimannus, Magadburgensis urbis prefectus, et palatinus comes Fridericus et Sigeloch, pluribus Saxonum, Sueuorum, Bauuariorum, Francorum adiunctis. Neque enim hoc semel fecisse sufficere credidimus, nisi iterum id in Gibechestein innovaretur, pluribus testimonio adhibitis, deinde in Herphesfurt<sup>23</sup> filiis predictę matrone secundum ius id ex omni parte confirmantibus. Deinde filius eiusdem, nomine Burchardus, legitimus successor matris suę hereditatis, tradidit hoc idem

---

<sup>22</sup>Hausen am Gerlinger See.

<sup>23</sup>Erfurt.

predium ex petitione Ernestonis consensuque omnium coheredum suorum cuidam nobili Suueuo Berhtoldo de Sparewaresekke, ut potius per illius manum illud predium offerretur sancto Gregorio quam per manum Ernest, qui iam armis et mundo pro Christo abrenuntiaverat. Postea vero in quarto anno ex relatione aliquorum agnovit hoc Ernest, quod predicta matrona murmuraret, sibi adhuc aliquid defore de promissa pecunia; set ille Ernest, labore invictus, iterum rediit Saxoniam et in presentia H. archiepiscopi et H. fratris eius et Hedenrici militis ipsius aliorumque innumerabilium militum ipsius, et Theoderici comitis de Hâra<sup>24</sup> multorumque suorum, tot et tanta huic matrone suisque filiis contulit, donec predictum predium, omni mala calliditate submersa, legitime stabiliretur sancti Gregorii cęnobio. Huic negotio interfuit Sigeloch et Heinricus, Fridehelm et Winehart miles Fridehelmi, Adelbertus et Burchardus milites archiepiscopi. Ad hos<sup>g</sup> istos novissimos testes idoneos esse estimati fuimus, quia Franci fuerunt, maxime quod predictum predium in terra Francorum situm est, et prenominata matrona cum suis coheredibus Francorum lege regenda atque coercenda est. Denique, sicut dictum est, predictum predium centum marcis emptum est, quarum XX Hartwicus, Magadburgensis archiepiscopus, se daturum spondit, domnus Ceizolfus, Mogo[n]tiensis decanus, qui et alia multa beneficia nobis contulit, in eadem emptione XXX marcas dedit, Drutvvinus, Wormatiensis civis, XX marcas dedit, Heinricus, Magadburgensis vicedomnus, X marcas dedit, Gerlahus de Malbotesheim duas hōbas sancto Gregorio dederat quę pro VI marcis venditę in eius predii emptionem cesserunt, insuper aliorum fidelium oblationes, quorum nomina in libro vitę scripta sunt, in eodem predio datę sunt. Post<sup>h</sup> hęc autem omnia domnus Sigeb(ertus), filius eius iunior, conquestus est coram rege Lothario apud urbem Wirceburc, delegationem illam esse iniustam a matre et fratre factam. Cui post hęc dederunt provisores huius loci XXX marcas argenti. Qui et ipse in Spirensi urbe coram imperatore Lothario et aliis principibus delegavit in manus Waltheri de Rotenburc<sup>25</sup> ut ipse offerret sancto Gregorio. Ad hoc soror eiusdem Sig(eberti) et filius eius, Gerungus nomine, tradiderunt supradictum predium sancto Gregorio in manus Ōdalrici abbatis de cella domne Paulinę. In Sulza<sup>26</sup> iuxta WORMATIAM habemus quatuor hōbas arabilis terre et VI iugera et quartam partem iugeri et XI iugera vinearum, et quartam partem iugeri, et de prato quartam, et duas curtes. Ex his quidam Cōno de Hepphenheim, cliens Ezzonis de Steinheim, dedit sancto

---

<sup>g</sup>Lies *hoc*.

<sup>h</sup>Von *Post* bis *Lothario apud urbem* etwas blässere Schrift.

<sup>24</sup>Altenahr.

<sup>25</sup>Rothenburg ob der Tauber, nicht Rottenburg am Neckar.

<sup>26</sup>Hohen-Sülzen.

